



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 14. An peccata Venialia sunt materia sufficiens Confessionis licet non
necessaria?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

tionem in re gravi ejus judicium pervertit. Secus, si verum putat. Item mortaliter peccat, qui in Confessione generali falsò asserit se jam peccata aliqua mortalia confessum fuisse: quia in re gravi & necessaria decipit Confessarium, qui putat mortalia illa jam declarata & remissa fuisse, nec jam esse materiam necessariam Sacramenti; unde non potest prudenter pœnam convenientem pro illis statuere; nam non eadem pœna pro peccatis mortalibus nondum Sacramentaliter remissis, quæ pro peccatis sic jam remissis imponi debet.

Resp. II. Mendacium in materia non necessaria, hoc est, quam non teneatur sub mortali confiteri, ut sunt peccata venialia, vel mortalia jam legitimè Confessa & remissa, quorum cognitio non est necessaria ad rectè administrandum Sacramentum, est ex communi solùm venialis. Quia tunc non decipitur graviter iudex in ordine ad debitum judicium, cum materia non sit necessaria, nec spectet ad substantiam judicii necessarij. Est tamen veniale gravius ob irreverentiam Sacramenti. Esset autem mortale, si aliunde non daretur materia valida Sacramenti, nam tunc irrita redderetur absolutio.

Q. 14. *An peccata Venialia sunt materia sufficiens Confessionis, licet non necessaria?*

Resp. Aff. Ita Trid. sess. 14. cap. 5. *Venialia quamquam rectè & utiliter, citràque omnem præsum-*

sumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Nam Christus dedit Sacerdotibus potestatem remittendi generatim omnia peccata, quæ remitti possunt, Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Porro extra casum necessitatis non sunt confitenda venialia tantum in genere, sed debet aliquod addi in specie, v. g. aliquod mendacium, tum quia est contra praxim fidelium: tum quia accusatio & iudicium per se loquendo fieri debent circa materiam in specie determinatam. Ita Suarez, & alii communius.

Q. 15. *An quævis peccata jam remissa per Absolutionem, sunt semper materia sufficiens novæ Confessionis?*

Resp. Aff. *Communis* & certa sententia est, inquit Suarez. Prob. 1. ex extravag. Benedicti. XI. de Privil. ubi ait eadem peccata iteratò confiteri salubre esse. 2. Quia peccata jam remissa possunt esse materia Contritionis & Confessionis, atque possunt adhuc remitti remissione priorem confirmante per novam gratiam; & Christus remittendi potestatem non restrinxit ad unum actum remissionis, propter majorem utilitatem animarum. 3. Ex piorum ac Doctorum hominum usu Ecclesiæ noto, nec reprehenso: quæ probatio valet, nam hanc adhibet Trident. sup. citat. ad